



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 vtrum sit peccatum, quàm iactantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

*Verum ironia sit minus peccatum, quam iactantia.*

*Lectis supra articulo iactantia.*

*Lib. 4. cap. 7. t. 5.*

*Lib. 4. cap. 7. tom. 5.*

*q. 100. art. 2. & 4.*

*Lib. 4. Ethic. cap. 7. t. 5.*

*lib. 4. cap. 7. ad fi. to. 5.*

**A**D SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod ironia non sit minus peccatum, quam iactantia. Virumq; enim est peccatum, in quantum declinat a veritate, quae aequalitas est quaedam: sed ab aequalitate non magis declinat qui excedit, quam qui diminit. ergo ironia non est minus peccatum, quam iactantia.

**¶** 2 Præ. Secundum Philof. \* ironia quandoque iactantia est: iactantia autem non est ironia. ergo ironia non est minus peccatum, quam iactantia.

**¶** 3 Præ. Prouer. 26. dicitur. Quando submisit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiae sunt in corde illius: sed submittere vocem pertinet ad ironiam. ergo in ea est multiplex nequitia.

**S**ED CONTRA est, quod Philof. dicit in 4. Ethic. \* quod irones, & minus dicentes, gratiores secundum mores videntur.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut dictum est, \* vnum mendacium est grauius altero, quandoque quidem ex materia de qua est, sicut mendacium, quod sit in doctrina religionis, est grauiusimum. Quandoque autem ex motiuo ad peccandum, sicut mendacium perniciosum est grauius, quam officiosum, vel iocosum. Ironia autem & iactantia circa idem mentiuntur vel verbis, vel quibuscumque exterioribus signis, scilicet circa conditionem personae, vnde quantum ad hoc aequalia sunt: sed vt plurimum iactantia ex turpiori motiuo procedit, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris: ironia vero ex hoc, quod fugit licet inordinare, per elationem alijs grauis esse: & secundum hoc Philof. \* dicit, quod iactantia est grauius peccatum, quam ironia. Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motiuo, puta, ad dolose decipiendum, & tunc ironia est grauior.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod ratio illa procedit de ironia, & iactantia secundum quod mendacij grauitas consideratur ex seipso, vel ex materia eius. Sic enim dictum est, quod aequalitatem habent.

**A**D II. Dicendum, quod duplex est excellentia. Vna quidem in temporalibus rebus: alia vero in spiritualibus. Contingit autem quandoque, quod aliquis per verba exteriora, vel signa pratendit quidem defectum in exterioribus rebus, puta, per aliquam vestem abiectam, aut per aliquid huiusmodi: & per hoc ipsum intendit ostendere aliquam excellentiam spiritualem, sicut Dominus de quibusdam dicit Matth. 6. quod exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Vnde isti simul incurrunt vitium ironiae, & iactantiae, tamen secundum diuersa, & propter hoc grauius peccant. Vnde & Philof. dicit in 4. Ethicor. \* quod & superabundantia, & valde defectus iactantium est. Propter quod & de August. legitur, quod neque vestes nimis pretiosas, neque nimis abiectas habere volebat, quia in vtroque homines suam gloriam quaerunt.

**A**D III. Dicendum, quod sicut dicitur Eccles. 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo: & secundum hoc Salomon loquitur de eo, qui ex dolosa humilitate nequiter vocem suam submittit.

*De amicitia, quae affabilitas dicitur, in duos articulos diuisa.*

**D**E I N D E considerandum est de amicitia, quae affabilitas dicitur, & de eius vitij oppositis, quae sunt adulatio, & litigium.

**C**IRCA amicitiam autem, seu affabilitatem, quaeruntur duo.

**¶** Primo, Vtrum sit specialis virtus.

**¶** Secundo, Vtrum sit pars iustitiae.

**G**ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum amicitia sit specialis virtus.*

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod amicitia non sit specialis virtus. Dicitur enim Phil. in 8. Ethic. quod amicitia perfecta est, quae est propter virtutem: quae liberatur a virtute est amicitiae causa, quae bonum omnibus est amabile, vt Dion. dicit in 4. cap. de diu. no. ergo amicitia non est specialis virtus, sed consequens omnem virtutem.

**¶** 2 Præ. Philof. dicit in 4. Ethic. de tali amico, quod non in amando vel inimicando recipit singula vt oportet: sed si aliquis signa amicitiae ostendat ad eos, quos non amat, vt pertinere ad simulationem, quae repugnat virtuti. ergo huiusmodi amicitia non est virtus.

**¶** 3 Præ. Virtus immediate constituitur, prout sapiens determinabit, sicut dicitur 2. Ethic. \* sed Eccles. 7. dicitur, Cor sapientum vbitristitia, & cor stultorum vbitrahitia. Vnde ad vitiosum pertinet maxime a delectatione sibi conuenire, ut dicitur 2. Ethic. \* Haec autem amicitia per se quidem delectatione condelectare, contristare autem reueretur, ut Philo. dicit in 4. Ethic. ergo amicitia non est virtus.

**S**ED CONTRA. Praecepta legis dantur de actibus virtutum: sed Eccles. 4. dicitur. Congregationi pauperum affabilem in facio. ergo affabilitas, quae hic amicitia dicitur, est quaedam specialis virtus.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut dictum est, cum virtus ordinatur ad bonum, vbi occurrit specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem rationem virtutis. Bonum autem in ordine constitutum, sicut supra dictum est. Oportet autem hominem conuenire ad alios hoies ordinari in conversatione tam in facio, quam